



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex  
Tomorvm Editionem ...

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1586**

**VD16 ZV 1269**

VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)



DE SANCTIS ET EORVM RELIQVIIS. 229  
 DE SANCTORVM ET RELIQVIA-  
 RVN HONORE, SERMO B. IOHANNIS DAMASCE-  
 ni. Habetur libro quarto cap. x. De orthodoxa fide Iac. Bil-  
 lio interprete.



**S**ANCTIS, vt Christi amicis, & Dei filijs, atque heredibus, honor haberi debet, quemadmodum inquit Theologus & Euangelista Ioannes: Quorquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quocirca non iam serui sunt, sed filij, Quod si filij, profecto & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Ac Dominus in sacris Euangelijs ad Apostolos ita loquitur: Vos amici mei estis. Et, Non iam dicam vos seruos. Seruus enim nescit quid faciat dominus eius. Quinetiam cum Rex regum, & Dominus dominantium, & Deus deorum, summus ille rerum omnium architectus ac Dominus dicitur, profecto sancti quoque tum dii, tum domini, tum reges sint necesse est. Horum enim Deus, & Deus, & Dominus, & Rex est, & appellatur. Ego enim, inquit ad Moysen, sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Ac Moyses Pharaonis Deus, a Deo factus est. Deos porro & Reges ac dominos non natura dico, sed quia perturbationibus animi imperarunt, ac dominati sunt, atque imaginem diuinam, ad cuius similitudinem procreati fuerant, integram, minimeque adulteratam seruauerunt, (nam & ipsa Regis imago Rex dicitur) & quia animi inductione, ac voluntate Deo vniti sunt, eum que hospitem susceperunt, ac per eius perceptionem, quod ipse natura est, hoc per gratiam extiterunt. Ecquid igitur cauta esse potest, quin eos honore complectamur, qui Dei serui, & amici, ac filij appellati sunt? Etenim is honor, qui probis conferri habetur, beneuoli erga communem Dominum animi argumentum est. Illi sane Dei promptuaria, & pura domicilia extiterunt. Inhabitabo enim in illis, ait Deus, & inambulabo, atque ero illorum Deus. Ac quod iustorum animarum in manu Dei sunt, nec mors eos attingat, literis sacris proditum est. Mors enim sanctorum somnus potius est quam mors. Laborauerunt siquidem in hoc aeuo, & in aeternum uiuent. Ac preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Quid autem praclarior ac pluris aestimandum, quam in manu Dei esse? Deus quippe vita & lux est: Ita fit, vt qui in manu Dei sunt, in vita quoque ac luce sint. Quod autem Deus etiam per mentem in ipsorum quoque corporibus sedem ac domicilium habuerit, his verbis Apostolus testatur: Nescitis quod corpora uestra templum sunt Spiritus sancti qui habitat in uobis? Dominus autem Spiritus est. Et, Si quis Dei templum violauerit, disperdet eum Deus. Quid igitur afferri potest, quin animatis Dei templis, & uiuis Dei tabernaculis, honor sit adhibendus? Hi cum huiusce uitae usura fruerentur, Deo fidenti animo adfiterunt.

Christus Dominus sanctorum Reliquias, velut saluiferos fontes praebuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, suauissimumque unguentum profluit. Nec vero quisquam huic sermoni fidem detrahat. Nam si aqua in deserto, & aspera solida rupe, atque ex asini maxilla ad sedendam Samsonis sitim Deo ita uolente profillit, eritne cur cuiquam incredibile videatur, ex martyrum reliquijs suaue unguentum scaturire? Mimime certe, ijs quidem, quibus Dei potentia, honorque, quo sanctos suos afficit, perspectus & exploratus est. Atque illud quidem ueteri lege comparatum erat, vt quisquis mortuum contigisset, immundus censeretur. Verum hi in mortuorum numero minime habendi sunt. Ex quo enim ipsa metuita, ac uita author inter mortuos adscriptus est, eos qui in spe resurrectionis, fideque erga eum, diem extremum clauserunt, mortuos haudquaquam appellamus. Qui enim mortuum corpus miracula edere queat? Quoniam itaque modo per ea daemones expelluntur, morbi profligantur, agroti sanantur, caeci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes ac maerores discutiuntur, ac denique omne donum optimum a patre luminum, eorum opera ad eos, qui fide minime dubia postulant, descendit? Quid non laboris suscipias, vt patronum quendam nanciscaris qui te mortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum uerba faciat? An non igitur ijs honorandi sunt, qui totius humani generis patronos se profitentur, ac Deo nostra causa suppli-

s. Nouebz, secundum Carthusian. nos. Iohan. i. Rom. 8.

Iohan. 15.

Sancti, eum dii uocentur.

Exod. 3.

Exod. 7.

Honorandi sunt sancti ut serui & amici Dei. 2. Cor. 6. Sap. 3. Psal. 48.

Psal. 115.

1. Cor. 6.

1. Cor. 3.

Sanctorum reliquias, fontes saluiferos. Exod. 17. Iud. 15.

Num. 19.

Sanctos cur appellemus? dormientes non autem mortuos. Matth. 11. Iacob. 1.